

ut omnibus nos spoliemus bonis, quibus illos liberemus; sed satis erit partem operum, quæ facimus, ipsis offerre. Sunt enim in quovis operesatisfactorio tria commoda, meritum, satisfactio, et impetratio. Primum nobis semper manet, reliqua duo aliis possumus applicare: quæ si defunctis aliisque dederimus, refundet nobis Deus centuplum; sicut B. Gertrudi virgini hanc ipsam ob causam anxie condonavit Deus in compensationem charitatis suæ, quæ omnia sua opera erogarat in defunctos, omnes pœnas; promisitque effecturum se, ut omnes animæ ab ea liberatæ morientis assisterent, eamque in cœlum comitarentur.

Sed quomodo, dicetis, eripiemus eas ex illo carcere? Quatuor modi occurrunt, quibus redimi quis e carcere possit. Primo, per munera, demulcendo sibi principem: secundo, per preces et libellum supplicem: tertio, per redemptionem nummariam: quarto, per translationem pœnæ in alterum, qui eam in se suscipiat. Iisdem quatuor modis redimi posse animas purgatorii scribit Sanctus Gregorius Magnus, in epist. ad Bonifacium, sacrificio missæ, quo velut munere gratisimo Deum placamus; oratione et intercessione commembrorum; elemosynis, quibus redimantur pœnæ; jejuniis, quo in alterum transferantur. Quæ omnia satis clare proponit nobis s. Scriptura.

Primo, sacrificium pro defunctis militibus suis offerri curavit Jerosolymis Judas Macchabæus, II. Macchab. XII. Ex quo loco colligit S. Augustinus, lib. de cura pro mortuis, cap. I. multo magis juvari animas sacrificio corporis Christi, si in veteri lege juvabantur sacrificio peccorum. In illo enim mittimus Deo Patri Filium suum, velut munus acceptissimum, quo justitiam ejus placemus, ac rigorem temperemus. Sane Pilatus reconciliavit sibi Herodem, quando misit ei Christum, quem videre cupiebat, ad judicandum; et non placabimus Deum, si mittamus ei Filium unice dilectum in missæ sacrificio, ut in eo sibi complaceat? Exemplum de sorore S. Malachie episcopi refert S. Bernardus in ejus vita, audisse illum in somno eam foris stantem per triginta dies nihil gustasse. Re expensa, reperit se totidem diebus pro ea non sacrificasse. Ergo rursum pergat pro ea libare, et paulo post videt eam ad limen ecclesie pervenisse, non tamen intrare posse. Pergit iterum, et videt eam in ecclesiam intrasse, sed altare contingere non auctere veste sub candida. Demum videt etiam in veste candidissima aggregari cœtui candidatorum. « Vides, lector, inquit Bernardus, quantum valeat deprecatio justis assidua! Nonne tibi vide-

tur Malachie oratio vicem quodammodo effractoris exhibuisse cœlestibus portis, quando peccatrix mulier fraternis obtinuit armis, quod suis meritis negabatur. »

Secundo, oratio. De hac, loco cit. dicitur *Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare ut a peccatis solvantur*. Sed de hac nos alibi diximus.

Tertio, elemosyna. De qua Tobias filio, cap. IV. *Panem tuum super sepulcrum justis constitue*, scilicet in elemosynam pauperum et sacerdotum. Duplex hæc elemosyna est, quia et pauperes alit, et animas purgantes redimit.

Quarto, jejunium, et alia mortificationis opera, ut peregrinationes, cilicia, vigiliæ, genuflexiones, lacrymæ, etc. De hoc habemus exemplum Davidis, qui pro defuncto Saul jejunavit usque ad vesperam, II. Reg. I. pro Abner, II. Reg. III. virorum Jabes Galaad, qui pro Saul septem diebus, I. Reg. ult.

Hæc cum ita sint, quis tam durus tamque inhumanus erit, ut captivis illis non subvenire velit? Quis non vestes de collo detrahat, superfluas ad minimum, ut, iis venditis, eos redimat? S. Xaverius, cum in India neophytorum collegium instituisset, nec haberet unde eos aleret, scripsit ad Catharinam Lusitanie reginam, rogans ut pecuniam, quæ reginæ soccorum et crepidarum nomine annuatim ex ora Piscaria Indiæ penderentur, donaret illi collegio in bonum et institutionem neophytorum, addens: *Non alios fore soccos et crepidas aptiores, quibus ipsa scanderet in cœlum, quam pueros oræ Piscariæ christianos, eorumque institutiones*. Mox illa rem probavit, suumque illud tributum neophytorum magistris volens ac lubens concessit, l. I. vitæ, c. I. Tursellinus. Habetis et vos plerique multa superflua, quibus carere, et plurimum opis præstare animabus purgatorii potestis. Ad quid vobis plumæ in pileis, tot annuli in digitis, armillæ in brachiis, in aures in auribus? Quid rosæ in calceis? Quanto certius et securius portabunt vos ad cœlum animæ purgatorii, quam vestimenta illa! Quanto pulchriori ornatu cœlum ingredimini, si onusti animabus ex igne receptis fueritis, quam si in splendido vestitu Christo judici obvietis! Festinate igitur et currite in auxilium afflictarum; abripite e collo ornatum, qui vos gravat magis quam juvat, et injicite in purgatorium, ut iis, velut funibus, extrahatis parentes, fratres, sorores et propinquos vestros; his enim et ipsi suo tempore trahent vos ad cœlum.

## CONCIO V.

DOCUMENTA EVANGELICA.

¶ Non abutendum Dei bonitate. — II. Corripiendi errantes cum spiritu lenitatis. — III. Injurie remittendæ. — IV. Ultio non quærenda. — V. Disciplina etiam in rebus prosperis servanda.

## THEMA.

*Simile est regnum cœlorum regi*. Matth. VIII.

Frequens est Salvator noster in parabolis proponendis, uti per elapsas aliquot dominicas nuper audivimus: nec sine magnis rationibus. Hæc siquidem tres animæ nostræ potentias, intellectum, voluntatem, memoriam, vehementer adjuvant. Intellectum illustrent: *Ut quod per simplex præceptum*, inquit D. Hieronymus in hodiern. evangelium, *teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem exemplaque teneatur*. Hinc difficiles doctrinas explicamus aliquo simili, quasi imagine depicta. Voluntatem movent, quia fortiter persuadent et intellectum convincunt, dum ad oculum rem demonstrant. Memoriam corroborant, quia species intelligibiles sensibilibus affixæ fortius imprimuntur, et fidelius retinentur. Quare, sicut margaritæ filo serico colligantur, ut simul custodiantur, et tum brachio appenduntur, ut semper in conspectu sint; ita Christus sua documenta, quæ Matth. VII. margaritis comparavit, parabolis, quasi fortibus alligavit filis, ut memoriæ nostræ firmiter inhæreant, et quasi ob oculos semper observentur, qua ratione etiam præcepit olim Hebræis, ut fimbrias in vestibus gererent, quarum aspectu, memores essent mandatorum Dei, Num. XV. Hujusmodi margaritas aliquot hodiernæ parabolæ affixas nunc contemplemur.

I. *Ne dixeris: Peccavi, et quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor*, Eccl. V. Videmus enim hoc in hodiern. evangelio, ubi initio quidem Dominus clementissime remisit immensum servo debitum; at ubi is clementia hac abusus est, terribilem ejus iram sensit. *Altissimus igitur est patiens redditor*, ait S. Gregorius, homil. XIII. in evang. *quia peccata hominum patitur et reddit: nam quos diu, ut convertantur, tolerat, non conversos durius damnat*. Ira Dei est velut amnes, qui per aliquantum terræ spatium reconduunt se sub terram (quod in pluribus locis Nilus facit) sed alio loco iterum erumpunt majore impetu et fragore. Ita loquitur Amos, cap. VIII. *Juravit Dominus in superbiam Jacob: si oblitus fuero usque in finem omnia opera eorum, etc. Et ascendet quasi fluvius universus, et defluet quasi rivus*

*Ægypti*, scilicet Nilus, qui repente se effundit per universam Ægyptum, et omnes sæpe vastat fruges. Expertus est hanc dilatam, sed non ablatam, Dei iram marchio Misnensis, Henricus; qui cum, ob Ecclesie bona usurpata, redargutus a S. Bennone episcopo Misnensi venerabili seni, duram inflixisset alapam, audit ab eo, futurum, ut post annum admissi sceleris pœnam daret. « Nec dicto fides abfuit. Circumacto enim anno, cum dies ultioni dicta ad vesperum jam inclinasset, marchio, qui corde duro facinoris tanti nedum ullam egerat pœnitentiam, verum etiam ludibrio habens viri sancti præsigium, ad consiliarios suos conversus, (et veluti dictator Cæsar Spurinam olim aruspicem irridens): En, inquit, dies, quem atrum nobis Benno futurum interminatus fuerat; sine noxa adest, (non considerans venisse quidem diem, sed nondum præterisse). Itaque adhuc loquens, subito inevitabilis Dei judicio, non placido, ut antea, sed torvo terribilique vultu eum adorientem, pœnasque poscentem videre visus est: (erat enim paulo antea vita functus) suos igitur, ut suppetias illi ferrent, quoniam D. Benno eum impeteret, frustra precatus, in genua concidens, subitanea morte periisse dicitur. » Ita habetur in vita S. Bennonis, apud Surium 16. jun.

II. *Vos qui spirituales estis, corripite* (errantem) *in spiritu lenitatis*, ad Galat. VI. Discimus hoc ex supplicio servi nequam, qui cum ira et violentia debitorem suum invasit, tenuit et suffocavit, ac propterea, revocatus a suo domino, traditus est tortoribus. In hujus rei figuram volunt aliqui morte punitum Moysen cum Aarone fratre, quod non juxta præceptum Domini: *Loquimini ad petram et dabit vobis aquas*, eam allocutus esset, sed virga percussisset, et quidem bis, Num. X. quasi displiceat Deo austera castigatio, et placeat moderata *in spiritu lenitatis*, verborum potius quam verberum, nisi necessitas aliud exigat. « Medicum aiunt, (ita scribit Seneca, lib. III. de ira, cap. XXXVI.) cum regis filiam curare deberet, nec sine ferro posset, dum tumentem mammam leniter fovet, scapellum spongia tectum induxisse. Repugnasset puella remedio palam admoto: eadem quia non expectavit, dolorem tulit, etc. » Quemadmodum hic medicus scapellum spongia textit, sic mansuetudine, lenitate, laude tēgenda quasi est correptio, quasi magnatum. Idem suadet S. Gregorius, III. part. past. c. XVIII. « Considerandum, inquit, quod elatores plerumque utilius corripiamus si eorum correptionibus quædam laudum fomenta misceamus, etc. Nam et equos indomitos blanda manu prius tangimus, ut eos nobis plenius, postmodum etiam per

flagella subigamus. Et amaro pigmentorum poculo mellis dulcedo adjungitur, ne ea quæ saluti profutura est, in ipso gustu aspera amaritudo sentiatur, etc. » Hoc est, quod advertit etiam monuitque Parysatis, Cyri et Artaxerxis mater, asserens ei : *Qui principes correcturus esset, utendum est verbis byssinis*, Plutarchus, in apophth. Quod in primis observavit Nathan, quando regem David de admissio adulterio et homicidio redarguere aggressus est, involvens reprehensionem parabolæ, velut scalpellum spongiæ, aut ferulam bysso.

Idem observandum videtur cum duris et præfractis ingeniis; ait enim Ecclesiasticus, cap. XVIII. *Non incendas carbones peccatorum, arguens eos*. Qui enim tales non suo tempore et loco, nec debito modo corripit, magis plerumque ad iram suscitatur, et in pejus impellit. Cautem in Harpatæ regione reperiri, ait Plinius, l. II. c. XLV. ejus naturæ, ut licet ingens sit, uno tamen si impellatur digito, moveatur illico: eandem si utraque manu lotis viribus urgeas, non modo non impelles, sed retrocedere potius re infecta coges. Sic præduri, superbi et efferati sæpe blando verbo facile permoventur: acius vero objurgati magis se opponunt et efferantur. Unde S. Ambrosius, serm. XVIII. ait: *Urat, non exurat: corrigat, non perdat correctio*.

III. *Relinque proximo tuo nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur*, Ecclesiastici XXVIII. Græce *remitte*, injuriam scilicet. Docemur hoc a rege, qui remisit servo debitum, ipsi plane insolubile. Hocne tibi difficile est? Cogita in primis illum, cui remisit, esse proximum tuum, qui possit fieri amicus et benefactor tuus, quomodo Samaritanus factus est Hebræo a latronibus conciso, proximus et amicissimus. Cogita deinde videri sæpe inimicum, qui velut amicus plurimum tibi prodest. *Phalerus*, ait Plinius, lib. VII. capit. L. *deploratus a medicis vomicæ morbo, cum mortem in acie quæreret vulnerato pectore, medicinam invenit ex hoste*. Ita multoties qui te vulnerat, aperit ulcus et apostema tuum, unde prodit sanies, quæ te enecasset, nisi prodiisset. « Cunipertus Longobardorum rex ad convivium S. Joannis episcopi Bergomatium forte adhibuerat. Cum sermonem uterque longas produxisset, Joannes assentatione vitiorum adjunctrice procul amota, nescio quid liberius ad comprimendas et restinguendas regis cupiditates protulit; id etsi demisse et leniter, ac remotis arbitris, quæ inerant viro naturalis ingenii dexteritas, factum esse ferunt: tamen regis animus, cujus aures veritati minus patebant, tunc offensus est. Quare, ut Joannis admonitiones sine ullo motu ac tumultu

vindicaret, equum indomitum et effrænatum sterni jubet. Is sæpe insidentem, aut invitum longius extulerat, aut prioribus pedibus se erigendo excusserat, aut calcitrando super caput effuderat. Sed in hunc elatus Joannes eo adeo mansueto et obediens usus est, ut et incitatum sustineret, et arbitrato suo fleteret ac moderaretur. Ea re a rege perspecta, jocus in admirationem versus est, et non modo equo Joannem donavit, sed postea præcipuo in honore habuit. » Possumus ergo, si remittamus injurias, salutem haurire ex inimicis nostris: si tamen, uti monuit Dominus, remisimus ex cordibus nostris, vere et sincere: nec conditionate, sicut ille infirmus, qui dixit se ignoscere inimico, si mori se contingat; non ignoscere, si vita superstes sit. Talis enim venenum adhuc in pectore foveret, quomodo Tocho miles Haraldus IV. Danorum regis coactus a rege pomum e capite filii sagitta excutere, fecit quidem imperata: sed duas alias sagittas sibi reservavit, ut primi jaculi errorem, reliquis duobus in ipso rege vindicaret, Saxo, l. X.

IV. *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum*, Levit. XIX. vers. XVIII. Præbet huic doctrinæ causam servus ille nequam, qui violenter opprimens conservum ob exiguum debitum, gravissime impegit, dum ad demissum revocatus debitum, carceri mancipatus, et tormentibus est traditus: ultionem igitur invenit, dum ultionem quæsit; sed longe severiorem, quam de conservo sumpsit. Vere igitur dictum Ecclesiast. XXVIII. *Qui vindicari vult, a Domino invenit vindictam*. Mirum quid in actis SS. Crispini et Crispiniani legitur: Rictiovarum Galliarum præsidem mandasse, ut martyribus sudes inter unguis digitorum et carnem infingerentur: quod ubi fecere lictores, martyres in horrendo illo cruciatio Deum invocant, et mox acutæ sudes ex illorum digitis resiliere velut sagittæ in ministros qui infixant, et alios quidem vulnerant, alios etiam enecant, apud Surium, 25. octob. Sic omnino accidit quibuscumque aliis, qui seipsos vindicant privata auctoritate: tela enim quæ in alios jaculantur, in ipsos resiliunt, et graviore longe vulnere eorum animas eruant, mortali nimirum crimine; cum suos inimicos non lædant nisi in corpore, fama et fortuna. Hoc advertit S. Lambertus abbas et episcopus Trajectensis, qui insidias inimicorum (Dadonis Pipini r. familiaris et satellitum) petitus ad necem, audito invadentium strepitu, gladium quidem initio manu sua corripuit, sese defensurus; verum memor evangelicæ doctrinæ, mox abiecit, et Domino committens suam de-

fensionem, oravit: *Eripe me de inimicis meis, Deus meus*. Sic se in victimam Deo obtulit sicariis: nec vindictam Deo distulit. Dado enim paulo post tetra lue correptus, per os ejecit viscera sua; corpus in Mosam projectum est. Qui telo emisso sanctum occiderat, in duello cum fratre congressus, una cum ipso peremptus est; reliqui intra annum pene omnes extincti sunt, ita Godeschalcus, in ejus vita, apud Surium, 17. septemb. Non est igitur, non est hac incendendum via, si ultionem appetas; alias eundem est; et qua alia, nisi dissimulando, et Deo committendo injuriam, qui vindictam faciet manu longe potentiori? Si tamen et ipse te ulcisci omnino volueris, tacendo et ridendo poteris. Docet te hoc Ambrosius, l. II. de interpellat. in Job, c. III. « Tacere debet, qui recognoscit objectum, ne vulnus exasperet, etc. audit enim alterius, non suum crimen: quod si referat, suum facit: si tacet, retorquet, et conviciantem vulnerat: » et S. Chrysostomus, hom. XII. in epist. ad Rom. *Nihil tam eos, a quibus lædimur, urere solet, quam injuriæ illatio risu excepta*.

V. *Disciplinam in pace conservate, filii*. Ita hortatur Ecclesiasticus, cap. IV. § XVII. Pax apud Hebræos prosperitatem significat et felicem rerum successum. Vult ergo dicere: Disciplinam meam servate non tantum in adversis, sed etiam in prosperis; hæc enim solent alioquin mentem dissolvere, quod apparet in hod. evangelio; ubi grandis ille debitor tamdiu modestus et demissus fuit, quamdiu obætatus, et debitorum pondere pressus fuit. Ast, ubi domini sui liberalitate, hoc onere sublevatus, nemini quidquam debuit, adeoque pacem ab exactore consecutus est, ibi mox oblitus pristinae calamitatis inolescere, et in conservum ferocire cepit; quod profecto non fecisset, si ære adhuc alieno obstrictus fuisset. Videte enim quorsum miser ille impulsus sit a pace et secundis rebus.

Primo, in fastum et arrogantiam, quia servus conservum ita objurgat, sicut ipse objurgatus fuerat ab hero suo, imo longe fastuosius; quasi ipse dominus, non conservus illius esset. Patuit hoc et in Agar, secundaria Abrahamæ conjuge, quæ, cum vidit se concepisse, despexit consortem, et dominam suam, Saram videlicet sterilem, Genes. XVI. *Non enim*, inquit Origenes, in catena Græca, *cujusvis est meliorem bene ferre fortunam, aut ex humili evecti non superbire*. Verum quemadmodum servus a secunda fortuna iterum ob insolentiam dejectus est in calamitatem et carcerem perpetuum; ita etiam Agar suæ insolentia pœnas dedit, ejecta e domo Abrahamæ.

Secundo, in contemptum heri, et oblivionem

accepti prius beneficii, dum nequaquam meminit se paulo ante in eadem calamitate fuisse, in qua conservum reperit. Idem videre erat in Hebræis; qui dum in Ægypto dura premerentur servitute, Deum verum constanter coluerunt (ut ostendit Barradius, Pererius, et alii): at postquam a gravi illo jugo erepti, de cælo in deserto pastus, ab angelo deducti, et hostibus metuendi fuerunt, tum primum exerunt vitulum, et excusserunt suave Dei jugum. Ac propterea quando inducti sunt in terram promissionis, non statim omnes hostes circumvicinos sustulit eis Deus, sed plurimos reservavit, qui subinde eos bello vexarent (ut patet ex lib. Jos. et Judic.) ut labites et inconstantes in officio contineret, et ab idololatria averteret. Prævidit etiam Joseph pincernam, cui prædixerat restitutionem in suum gradum, facile immemorem futurum accepti beneficii: « Ideo secundo, ait S. Ambrosius, l. I. de Joseph. c. VI. repetivit (sui scilicet memoriam illis verbis: Memento mei cum bene tibi fuerit, et facias mecum misericordiam, etc. Genes. XL.) quia sciebat non recordaturum, quod evasisset injuriam, cum potentiam recepisset: » et l. II. de interpell. in Job, c. V. « Magna illecebra delinquendi est rerum affluentia secundana: supinat, extollit, oblivionem auctoris infundit, etc. »

Tertio, in amentiam et cæcitatem; siquidem conservum in carcerem compegit, donec solveret debitum. Stulte! Quomodo victus lucretur, quod liber non potuit ad æs dissolvendum! Res ergo secundæ oculos homini cæcant. Idcirco Isaias, c. XXVIII. dixit: *Sola veçatio intellectum dabit auditui*, quasi intellectus in prosperitate amittatur, in adversitate recuperetur. Quod exemplo Davidis et Salomonis confirmat S. Bernardus, lib. II. de consider. c. XII. « Sapiens, inquit, David, sapiens Salomon fuit; sed blandientibus nimis secundis rebus, alter ex parte, alter ex toto desipuit. Magnus, qui incidens in adversa, non exiit vel parum a sapientia: nec minor cui præsens felicitas, si arrisit, non irrisit, quamquam facilius inveneris, qui sapientiam retinuerunt, contraria sibi fortuna, quam qui propitia non perdiderunt. » Ita postea et alii Hebræi propter res nimium prosperas devoluti sunt ad insanissimam idololatriam. Unde in eorum persona ait Oseas, cap. XII. *Dives effectus sum, inveni idolum mihi*.

Quarto, in ferociam belluinam, dum violenter hominem invadit, et instar lupi in gula corripit ac suffocat. Quo etiam spectat quod de Hebræorum populo rebus prosperis saginato Moyses dixit, Deut. XXXII. *Incrassatus est dilectus, et calcitravit*, quasi optima fortuna hominem mutet

in belluam; ut qui non jam armis, sed calcibus Deum et homines aggrediatur. Simile est quod Oseas, cap. IV. ait de eodem populo: *Sicut vacca lascivens declinavit Israel: verum: Prosperitas stultorum perdit eos*, ait Salomon, Prov. IV. Quem admodum enim vaccae et boves saginati ducuntur ad macellum; ita qui ex prosperis efferuntur et insolescunt, trahuntur ad gehennam. Unde D. Gregorius, lib. VI. moral. cap. III. *Quasi, inquit, per amœna prata in carcerem pervenit, qui per præsentis vitæ prospera ad interitum tendit*. Ita ad carcerem ineluctabilem ductus est servus nequam per obtentam indulgentiam: quare misericors

Deus electis suis adversa magis immittit, quam secunda. « Solent nonnulli viatores, cum amœna fortasse in itinere prata conspiciunt, pergendi moras innectere, et a cœpti itineris rectitudine declinare, eorumque gressus tardat pulchritudine itineris, dum delectat. Electis ergo suis Dominus hujus mundi iter asperum facit, ut, dum quisque vitæ præsentis requie, quasi amœnitate viæ, pascitur, magis cum diu pergere, quam citius pervenire delectet; ne dum oblectatur in viâ, obliviscatur quod desiderabat in patria, » inquit D. Gregorius, lib. XIII. moral. cap. XXIV.

## DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

EVANGELIUM. MATTH. XXII.

In illo tempore, abeuntes Pharisæi, consilium inierunt, ut caperent Jesum in sermone, et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo. Non enim respicis personam hominum; dic ergo nobis quid tibi videatur: Licet census dare Cæsari, annon? Cognita autem Jesus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ? Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Jesus: Cujus est imago hæc et superscriptio? Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: et quæ sunt Dei. Deo.

### CONCIONES.

- I. Adulatorum mores et nequitia.
- II. Hypocritarum nequitia ostenditur.
- III. Quid unusquisque debeat sibi, proximo, Deo.
- IV. Bona nostra quomodo cum Deo dividenda.
- V. Imago Dei in homine quoad multa.
- VI. Cur homo ad imaginem Dei conditus sit.
- VII. Hominis præcipua membra quarum rerum sint imago.
- VIII. SS. imaginum cultus comprobatur.
- IX. Documenta.

#### X. Mysteria.

#### CONCIONES AUCTARII.

- I. Deo gloriam, proximo charitatem, nobis confusionem deberi.
- II. Quare Deus cor, seu amorem sui, exigit a nobis.
- III. Lingua quam caute custodienda.
- IV. Veritatem libenter audiendam esse.
- V. Qui potissimum Deum periculose tentent.
- VI. Adducuntur aliqui ad speculum ad seipsos intuendos.

### CONCIO I.

#### ADULATORUM MORES ET NEQUITIA.

- I. Aliorum moribus se accommodant. — II. Mirantur et extollunt eorum dicta et facta. — III. Coram laudant, clam rident et despiciunt. — IV. Laudant et defendunt male agentes. — V. Mentem et scrupulos eripere conantur. — VI. Delinquentes non corrigunt. — VII. Corrigunt interdum, sed leviter. — VIII. Ad placitum loquuntur. — IX. Divinant et promittunt mira. — X. Omnia tolerant.

#### THEMA.

*Abeuntes Pharisæi consilium inierunt, ut caperent Jesum in sermone. Matth. XXII.*

Certum genus hominum est, infami quidem nota, reip. tamen utile et homini, Christiano præsertim, nequaquam execrandum aut abominandum, canicularum inquam. Circumeunt illi

IV. PARS ÆSTIVALIS.

urbium plateas, jaculatorio instructi laqueo, quem blando quidem incessu allectis ad se canibus derepente injiciunt, nihil tale metuentibus; sicque illaqueatos post se per urbem trahunt, demum strangulant et necant. Mirum est, quam hoc genus hominum canibus exosum sit. Sive enim ex odore, sive ex naturali antipathia statim eos agnoscunt, et velut hostes suos latratibus insectantur, etiam cum ab eis nullum sibi periculum imminet. Non arbitrorme injuriam facturum adulatoribus, si infamibus canicidibus eos comparavero. Ut enim isti canibus, ita illi insidiantur hominibus. Isti dissimulanter et blande incedentes, subdole jaciunt laqueum et collis canum induunt: illi blando et amico sermone sese insinuant, incautos illaqueant homines. Quamobrem ille Diogenes blandam orationem non ex animo profectam, sed ad gratiam compositam vocare solebat *melleum laqueum*; quod blande amplectens hominem jugulet, Laert. I. VI. Cujusmodi sane laqueum jure merito